

quam semel ab illius manibus ereptam, et jactanter redditam, in anteriori parte Rusconius apprehendit, et dum rursus avellere conaretur, repentino ejus ictu Rusconius perit. Curia Comensis parochum reum declaravit de culpabili homicidio, episcopus testatur de penitentia, ac bonis moribus ejusdem. Non S. C. suas preces pro dispensatione ab irregularitate rejecit, ita tamen esse ei concedendam, dummodo non celebret in loco patrati criminis decrevit. Comen. irregularit. 27 Augusti 1790.

(51. *Dispensat. ab irregul. ob complicitatem in homicid.*

Temulentus sacerdos Adamus Bramberger, Stejerdoffi parochus, nedum Sebastianum Stegmayer ejus parochiae incolam, ad ægotam sacramentis munitam uxorem verberandam incitavit, sed ei quoque virgarum præbuit fasciculum, manibusque infelicem tenuit mulierem, ut commodius ille nefarium facinus patraret. Tertio igitur verberata, post triduum decessit infirma, damnatusque fuit parochus die 4 Julii 1787, ad biennii carceris pœnam. Hac expleta, exorat dispensationem. S. C. eam denegat, licet ei faveat episcopus, qui facinus eum patrasse asserit, quia vini potus ita facilius sese præcipitem facinori præbebat, ut biennio ei fuerit interdictum. Canadien. *Dispensat. ab Irregularit.* 27 Novem. 1790. Deinde inspecta supplicatione episcopi, prævio recessu a decisis, consulendum SS. pro gratia, dummodo non celebret nec animarum curam exercent in loco patrati criminis, sancitum est 21 Aprilis 1792.

(52. *Dispensat. ab irregul. ob homic. non ex animo*

Joseph Allegri sacerdotem Andream Bon, cum quo rixam habuit, et in gratiam fuit restitutus, die 8 Maii 1783 adortus est; qua de causa duplici sacerdos saucius plaga, omniæ evadendi via præclusus, ferro aggressorem confodit, qui paulo post mortuus est. Paucis elapsis mensibus, composita parte, et fisco, absolutoriam sententiam obtinuit, et per integrum annum in conventu S. Blasii moratus est. Tandem dispensationem ab irregularitate efflagitat, et favente episcopo, eam consecutus, dummodo in loco patrati delicti sacrum non faciat. Vicentina irregularit. 15 Januar. 1791.

(53. *Denegat. dispensat. ab homicid. ex circumst. extrinsecus.*

Juvenis quidam a patre irato jactatus die 7 Maii elapsi, ingressus est domum sacerdotis Petri Josephi Vancoolwich, a quo nedum auxilium habuit, sed quoque patrem illius ita sacerdos insectatus est, ut, deserto filio, ille irruerit in sacerdotem ipsum, qui unico baculi ictu eum in pugna interfecit, data morienti sacramentali absolutione. Post hanc occisionem nil passus est, quod uni et alteri tantum factum notorium erat, et modo dispensationem ab irregularitate postulat; S. C. ei inficiata est. Leodien. irregularit. 17 Decem. 1791.

(54. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. non culpab.*

Cum capellanus ecclesiae S. Michelangeli Castri Majoli Marcus Benedetti, natura meticulosus, absque mortis periculo fugam arripere, et se alias defendere non valeret, facinorosum Sebastianum Tomei, scopulo ab humeris dejecto, occidit. A curia episcopali, uti repertus non culpabilis, fuit absolutus, partem et fiscum composuit, sed miseris pressus ab irregularitate petit dispensationem: et *Expectet*, primum rescripsit S. C. in Feretrana Irregularit. 28 Maii 1791, deinde gratiam impertivit. 15 Decem. 1792.

(55. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. exsulis proscripti.*

Dum ad facinorosos arcendos exsules excubabat anno 1788 urbanus miles, et clericus Lazarus Gori in villa S. Joannis a Galilæa, jubente duce ejus patruo, igneam illi nocturno tempore in eum sine effectu exploserunt ballistam; sed clericus cum effectu, et non malo animo, nec ab iracundia ductus lethale intulit vulnus aggressori sancto Garelli, in quem erat talionis pœna, ac eo defuncto præmium clericus recusavit. Modo autem, ut ad sacerdotium ascendat dispensationem ab irregularitate poposcit, et ei S. C. donavit; Bricinorien. irregularit. 24 Nov. 1792.

(56. *Denegat. dispens. ab irregul. ob homicid. culpab. in causa.*

Cum die 22 Junii 1789, ebrius sacerdos Zeno a Moga venatu delectatus esset, cum altero ex tribus sociis rixari cepit; eoque in tutum posito, igneam furens ballistam confregit, et in alios irruens duos innocentes, qui prope sedebant, graviter eos pulsavit, et unus ex his paulo post ex percussione interit. Damnatus hac de re in contumaciam fuit pœna ordinaria; et adhuc profugus supplicat pro dispensatione ab irregularitate, sed frustra. Conventuarum irregular. 12 Maii 1792.

(57. *Dispensat. ab irregul. ob subdiac. sine intent. vi, et metu susceptum.*

Sacerdos Andreas Borg subdiaconatum vi metuque compulsus suscepit, et in actu ordinationis aversum ab illo statu suum animam declaravit. Inde S. C. consuluit de ordinis validitate, quæ non solum eam iterandam ordinationem sub conditione putavit, sed necessariam etiam esse ab irregularitate dispensationem; quam impertivit. Melevitana subdiaconatus 16 Junii 1792, dub. 2.

(58. *Dispensat. ab irreg. ab homic. fortuit.*

Cum ad paternum iturus agrum e domo descenderet Aloysius Azzeni ætatis annorum 16, anno 1785, fortuita igneæ ballistæ, quam humeris gestabat, explosione, lethale infixit vulnus domesticæ ancillæ, ex quo paulo post infelix mulier lucis usuram amisit. Curia laicalis eum a pœna atque culpa absolvit. Ecclesiasticum modo statum inhians, S. C. exorat, quæ dispen-

sationem ab irregularitate elargita est; Calaritana Irregularit. 19 Jan. 1793.

(59. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. ex causa.*

Sacerdos Joannes Baptista Piccinelli, ad contumelias ac verbera sorori illata persequenda, anno 1789, exsulem Joannem Micheli aggressorem ictu igneæ ballistæ luce orbavit. Facile sententiam absolutoriam a Curia laicali anno sequenti obtinuit: inde Romam petiit pro dispensatione ab irregularitate assequenda. Ei suffragantur compositio partis, et fisci, atque boni mores, sed non S. C., quæ dispensationem denegavit. Bergomen. irregularit. 23 Febr. 1793, confirmat. 21 Junii 1794. Post primam ac secundam repulsam episcopo enixe exorante recessit S. C. a decisis, et absolutionem ac dispensationem concessit. 28 Nov. 1796.

(60. *Denegat. dispens. ab irregul. ob homicid. volunt. et inhum.*

Sacra congregatio negavit se daturam fuisse dispensationem ab irregularitate Joanni Jacobo Lippi, qui homicidium voluntarium, atque quodammodo inhumanum a septennio commisit. Nam orta contentione inter eundem et villicum Peregrinum Jonelli de tenui pecunia summa: « Sacerdos (ait archiepiscopus) propriam aggressus domum, procul ab omni periculo, inanes conquerentis clamores non audiens, aperta fenestra, igneam expulit ballistam. » Lucana Irregularit. 20 Junii 1793.

(61. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. non ex animo seculum.*

Joseph Pepe petens dispensationem ab irregularitate, rescriptum *Expectet* retulit. Hic cum Dominico Antonio di Biase, præcedentium dierum redintegrata rixa, pugionem mense Augusto 1776 strinxit ad terrorem duntaxat incutiendum, per eundem tamen pugionem e suis manibus a fratre avulsum, Dominici postea cædes facta est; Nullius Caven. Irregular. 24 Nov. 1792. Inde favente Ordinario, et testante de ejusdem probitate, ac penitentia peracta, dispensationem indulsit. 7 Sept. 1793.

(62. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in rixa.*

Quando mense Martio 1785, facinorosus et homicida satellitum dux, Joannes Cortrazzo, emissurus erat in rixam igneæ ballistæ ictum in Vincentium Feola ejusque fratrem sacerdotem, repentiam his tulit opem tertius frater Conus sacerdos, qui suis ac suorum fratrum diffidens viribus, mucronem ab illius perditis viri latere avulsit, ejusque proprio ferro vitam violavit. Ob id dispensationem ab irregularitate desiderat, sed non obtinuit. Caputaquen. Irregular. 7 Sept. 1793. Iterum renovat preces, et pro-vicarii generalis exhibet testimonium suæ utilis laudabilis vitæ, et S. C. gratiam petitam indulsit. 14 Martii 1795.

(63. *Dispensat. ab irregul. ab homic. involunt.*

Ignorabat clericus Andrea Marengo, an

ballista ignea pulvere tantum, aut plumbeis glandulis præparata esset, et famulus, qui suam imperitiam in explosione experiebatur, illum monuit ut ab experimento cessaret, et ballistam ab ejus manibus eripere tentavit. Vix autem illum tetigit clericus, repente explosus est ictus in famulum, qui post quadriduum exspiravit. Fiscus clericum ab omni culpa immunem agnovit. Curia archiepiscopalis eum dimisit cum præcepto de se representando; hinc dispensationem ab irregularitate efflagitat. S. C. primum, ut abolito præcepto de se representando recurrat. Januen. irregularit. 11 Maii 1793. Et inde edocta S. C. de abolitione præcepti dispensationem impertita est. 14 Decem. ejusdem anni.

(64. *Dispensat. ab irregul. ob homic. volunt. a longo tempore patrati.*

Irregularitatis dispensatio differtur sacerdoti Philippo Magliocchini, qui 24 ab hinc annis, voluntarium commisit homicidium in Dominicum Allegretti, donec spiritualia exercitia per Ordinarium decreta apud missionarios SS. Redemptoris Capitis Sileris expleverit, per mensem, in loco commodiori ab eodem Ordinario designato. Anglonen. seu Tursien. Irregularit. 17 Augusti 1793. Deinde testante episcopo de ejusdem exemplari vita, pietateque, S. C. dispensationem indulsit. 25 Januar. 1794.

(65. *Dispensat. ab irreg. ob homicid. occult.*

Per insidias occisus fuit anno 1782, in civitate S. Marini clericus Virgilius Lolli, quin criminis auctor innotuisset. Homicidium tamen ex pluribus indicis patricio illius reipublicæ nonnulli imputabant, alii clericum Josephum Belzoppi familiarem ejus amicum, aut complicem, aut saltem socium suspicabantur. Sed ex defectu probationum fiscus dimisit cum obligatione de se representando, et postea tanquam non repertum culpabilem. Petit hic dispensationem ab irregularitate, et S. C. precibus annuit. Feretrana irregularit. 5 April. 1794.

(66. *Denegat. dispens. ab irreg. ob homic. in rixa*

Rixante clerico Matthæo Topi cum Joanne Baptista Nani, partem in dissidio assumpserunt respectivi illorum fratres: clericus nempe Barlaamus et Stephanus Topi ex una, Antonius Nani ex altera; tradiditque Matthæus igneam ballistolam ejus fratri Barlaamo, qui Antonium Nani cum ea peremit. Triennio tantum elapso, obtenta remissione partis, composito fisco, et nono expleto carceris mense, dispensationem ab irregularitate efflagitat, et non obtinet. Faventina irregularit. 22 Novem. 1794 et favente episcopo. Quo magis bis petiit, tanto majorem ei frustratio dolorem attulit. 19 Decem. 1795 et 11 Decem. 1796.

(67. *Dispensat. ob irregul. ob homicid. mere casual.*

Dum diaconus Petrus Sperandio, spiritualibus peractis exercitiis, promovendus

erat ad presbyteratum, surdam anam, aita inutilique voce monitam confregit, interemitque cisio, eujus concitatos equos continere non potuit. Inde obtenta dispensatione a quodam presbytero, qui facultatem habere jactabat, suscepit ordinem sacerdotalem, et anxio est animo de irregularitate, precatur pro dispensatione, et rehabilitatione, cum de causali homicidio ageretur; et S. C. petitioni concedit. Nolana irregular. 24 Januar. 1795.

(68. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in rixa.*

Irregularitas contracta a sacerdote Petro Borelli per occisionem patratam in rixa post primum rescriptum lectum, vigesimo tandem anno a crimine commisso elapso, ob constantem illius emendationem, et propter sacerdotum defectum illius parociae, remittitur. Mutinen. irregular. 28 Febr. 1795.

(69. *Dispensat. ad cautel. ob irregul. ex causa suspens.*

Dispensatio ab irregularitate conceditur ad cautelam canonicis extra Capitularibus vocatis ecclesiae collegiatae S. Michaelis Archangeli Caprarolae, qui cum essent punctaturis immunes, juxta capituli antiquas constitutiones, et veterem consuetudinem, impugnabant dimissionem tertiae fructuum partis pro distributionem massa constituenda, pro qua re episcopus eos suspendit. Civitatis Castellanae 16 Maii 1796, dub. 4.

(70. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. inculpab.*

Acolythus Petrus Gisolfi, occasione licitae venationis, gestans in humeris igneam ballistam elato igniario ex inopinato ictu, quem illa explosit, interemit suum amicum clericum Dominicum de Amato. Ex processu inculpabilis repertus ille fuit, et supplicat pro gratia dispensationis, et obtinuit. Salernitana Irregular. 22 Augusti 1795.

(71. *Dispensat. ab irregul. ob violat. censur.*

Cum parochus Franciscus Vasoli, licet avarus non fuisset in elemosynis distribuendis, tamen ex superexstantibus parociae redditibus, aliisque proventibus, etiam patrimonialibus, illicitam negotiationem exercuit. Modo exorat dispensationem ab irregularitate in quam incurrit ob administrationem proprii ordinis sub censuris ecclesiasticis; et S. C. . . quae etiam ei restitutionem lucri illiciti imposuit, dispensationem postulatam impertivit. Capuana 20 Februar. 1796, dub. 3.

(72. *Denegat. dispens. ab irreg. ob homic. volunt.*

Sacerdos Innocentius Oleisius dum revertebatur patriam Pannesium ex finitimo loco Uscio, ubi sua soror nuptias contraxerat, aliqua jam contentione absoluta, cepit impellere sororem, igneamque tandem in eam reluctantem a tergo explosit ballistam, eujus ictu post paucos dies puella decessit. Penam luit postmodum carceris, et pecuniariam damnationem. Jam quindecim elapsi sunt anni, reclam vitae methodum agit. S. C.

vero dispensationem denegavit cum clausula absque spe. Januen. irregularit. 23 Aprilis 1796.

(73. *Dispensat. ab irregul. ex caus. censur.*

Postquam subdiaconus Chella calumniatus est sacerdotem Antonium Paita ob tentatam in ipsum igneam ballistulae explosionem, pendente inquisitione ascendit ad diaconatum. Sacerdos absolutus fuit ex capite innocentiae, et calumniator damnatus ad expensas et damna, et actio calumniae incepta est; sed res fuit composita, et diaconus petita absolute a censuris, petiit etiam dispensationem ab irregularitate, et rehabilitationem ad ordines, et favente ei episcopo omnia reportavit a S. C. Lunen. Sarzanen. 9 Julii 1796.

(74. *Denegat. dispensat. ob irregul. ob homic. in rixa patrum.*

Sacerdos Franciscus Antonius Mazzadi parochus olim Strepeti damnatus praeter ceteris fuit a Placentina curia, tanquam reus rixosi homicidii in caupona patrum, ad quinque exsilium a loco commissi criminis, seu vicariatu Complani. Hac poena nondum expleta, supplicat pro dispensatione ab irregularitate, sed non obtinet, licet episcopus faveret, fisco, partique satisfactionem praestiterit. Placentina irregularit. 30 Julii 1796; confirmat. 9 Sept. 1797.

(75. *Dispensat. ab irreg. pro defectu partis pollicis.*

Ab irregularitate super defectu partis pollicis laeva manus dispensationem per Breve concedendam esse, facto verbo cum Sanctissimo, statuit S. congregatio clerico Joanni Baptistae Joseph Bouchez, sed cum digitali aureo, vel argenteo inaurato ita inhaerente ut omne periculum arceretur, quod in sacro peragendo cadere posset, et praemisso experimento coram caeremoniarum magistro, et dummodo eo digitali in nulla alia actione uteretur, ac reverenter in capsula custodiretur. In Cameracen. irregularitatis 17 Februarii 1821.

(76. *Denegat. dispensat. ab irreg. ob defectum visionis.*

Irregularitatem acolyti Dominici de Paulis, contractam ex eo quod luminibus orbatus erat, licet nullum scandalum populo dare posset, attamen dispensandam esse negavit S. Congregatio, quia agebatur de promovendo: In Neapolitana Irregularitatis 17 Septembris 1814.

(77. *Dispensat. ab irreg. ob homicid. in bello.*

Ab irregularitate dispensationem concessit S. congregatio clerico Donato Romani, qui miles conscriptus vi coactus fuit arma sumere, in bellum ire, licet nesciret an in aestu conflictus aliquem sauciaverit, vel interfecerit: In Aretina 18 Martii 1815.

(78. *Dispensat. ab irregul. ob impulsum et operam praestitam ad necem latronum.*

Sacerdotem Michaellem Angelum Fran-

chini commendatum ab episcopo, ab irregularitate dispensavit: S. congregatio, ex eo contracta, quod ipse incitaverit armatos ad pugnam adversus latrones vulgo briganti, et ipse exploderit ballistam igneam adversus

JURISDICTIO.

SARDINIAE jurisdictionis, in qua ad seq. dub.

I. An, quando Ordinarii ad vitanda scandala procedunt, non citata parte, nec adhibita causae cognitione in causis visitationis, aut correctionis morum, possit judex delegatus apostolicus appellationem simpliciter admittere.

II. An ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, quod tamen potest reparari per sententiam definitivam, valeat appellationem admittere?

III. An, quando appellatur a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari nequit, ut carcerationis, torture, aut excommunicationis, possit appellationem admittere, aut inhibitionem, vel aliam provisionem concedere, non visis actis ex quibus evidenter appareat de gravamine?

IV. An censuras Ecclesiasticas in appellante prolatas valeat relaxare aut nullas declarare, non auditis partibus nec cognita causa?

V. An valeat absolutiones ad cautelam concedere non citata parte, nec visis actis, nec praestita cautione ab appellante de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiae?

VI. An ab executione decretorum sacri concilii Tridentini valeat appellationem admittere?

VII. An valeat causas in curiis ordinariarum, vel aliorum judicum inferiorum pendentes ad se avocare, vel illarum cursum impedire sub quolibet praetextu, praeterquam per viam legitimae appellationis fuerint ad ipsius tribunal delatae?

VIII. An valeat appellationem recipere, nisi per publica documenta (quae realiter exhibeantur) prius constiterit appellationem a sententia definitiva, vel habente vim definitivam, aut a gravamine quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a jure non prohibitis, per legitimam personam, et intra debita tempora fuisse interpositam ac prosequutam.

IX. An valeat inhibitionem concedere post receptam appellationem absque insertione tenoris sententiae, aut decreti definitivi, aut definitivi vim habentis, etiamsi appellans asserat, culpa judicis a quo, vel actuarii, exemplum habere non posse, non justificato impedimento, et an in casu possint inhibitiones impune sperni?

X. An valeat appellationes in secunda instantia recipere a decretis seu sententiis suffraganeorum, omisso medio curiae metropolitanae?

XI. An in causis de sui natura appellatibus, in quibus dictus judex processit, valeat appellationum, quoad effectum, suspensionem denegare?

eosdem, quin tamen aliquem occiderit, vel mutilaverit, et probaverit propinationem veneni duci latronum factam a fratre suo pharmacopola: In Marsicen. Irregularitatis 18 Martii 1815.

JURISDICTIO.

XII. An, et quae taxa servanda sit a dicto judice delegato tam in causis civilibus, quam criminalibus pro sportulis, seu propinis?

Sac. cong. Concil., die 3 Aprilis 1700, distulit propositionem; die vero 24, ejusdem mensis jussit proponi causam in prima etiam unica, et per delegatum exhibendas esse literas suae delegationis; et demum die 15 Maii dicti anni respondit « Ad 1, *negative* quoad effectum suspensivum. Ad 2, *negative*. Ad 3, *negative*, quoad cognitionem causae in gradu appellationis tantum, et *affirmative*, quoad brevem supersessoriam. Ad 4, *negative*. Ad 5, itidem *negative*, praeterquam in casu absolutionis ad breve tempus, et tunc cum obligatione de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiae. Ad 6, 7, 8, 9, 10 et 11, *negative*. Ad 12, exhibendas esse taxas tam Ordinariarum, quam delegati » ut in lib. I. Decret., pag. 145, 185 et 1224.

AQUILANA jurisdictionis, in qua ad sequentia dubia.

I. An episcopo accedenti ad visitandum monasteria monialium PP. Coelestinis subiectarum, debeantur in ingressu ecclesiae solitae honorificentiae et praeminentiae, omnesque actus reverentiales, ac associari, tam in ingressu, quam in egressu ecclesiae a praedictis PP. Coelestinis?

II. An moniales praedictae teneantur tradere episcopo visitanti librum regularum, et teneantur similiter subire ad solitas crates onus personalis visitationis quoad clausuram spectantis?

III. An episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi, et visitare clausuram praedict. monialium absque interventu P. abbatis Coelestinorum.

IV. An episcopus possit visitare nedum crates, et moenia exteriora praedictorum monasteriorum, sed etiam chorum interiore, dormitoria, cellas, aliaque loca pro clausura custodia?

V. An possit episcopus occasione S. visitationis habere sermonem spiritualem praedict. monialibus tam infra, quam extra septa monasterii?

VI. An possit episcopus nedum visitare altaria et capellas ecclesiarum praedictorum monasteriorum, in quibus beneficia, aliaque onera missarum insint, verum etiam et tabernaculum cum altari majori?

Sac. cong. Conc., die 31 Julii 1723, respondit: « Ad 1, *affirmative* quoad ministros officiales monasterii, et quoad confessorium ejusdem tantum. Ad 2, *negative* quoad primam partem, *affirmative* quoad secundam. Ad 3, 4, 5, *affirmative*. Ad 6, *negative*. »

MELEVITANA jurisdictionis, in qua ad sequent. dub.